

quit, *similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Et paulo post: *Cum ex me queritur, ait, quid acturi sint sancti (in vita altera)? non dico, quod jam video, sed quod credo. Dico itaque, quod visuri sint Deum.* Idem Comm. in Psalm. LXXV. Tom. VIII. fol. 339. A. I. *Contemplabimur Deum facie ad faciem. Hic nobis promittitur, in quem modo non videntes credimus. Quomodo gaudebimus, cum viderimus eum, Fratres, si modo tantum gaudium in nobis facit promissio, quantum est factura redditio? &c.* Confer. Epist. VI Tom. II. pag. 12. a b. & Lib. XV. de Trinit. c. VIII. Tom. III. p. 176. 2. C. D.

L. Sequuntur recentiores, *Bernbardus, Thaulerus, Thomas a Kempis, Harphius, Rusbrochius & Auctor Theologiae Germanicae*: de quibus antequam sigillatim dicamus, monendum est; ex quo *Pseudo Dionysius Areopagita* prodiit ac *Theologiam*, quam vocavit *Mysticam*, in orbem Christianum intulit, (factum id autem post Athanasii & Cyrilli ætatem, ut constat ex Collatione habita Cpli inter Catholicos & Severianos, A. 532. Conf. Rivetus, Crit. S. L. I. Cap. IX. §. XIII. p. 157.) eam vero *Johannes Erigena Scotus* Latinitate donavit, utique homines quosdam, præsertim Monachos, vitæ contemplativæ deditos & nescio quam perfectionem, quam consecuti sint, in se ipsis fingentes atque admirantes, in eam delapsos fuisse opinionem, quod beneficio peculiaris illuminationis, aut *ἐκστάσεως*, intime, immediate ac plane familiariter cum Deo colloqui, quin ipsam Dei essentiam intueri queant; imo colloquantur cum Deo, Deumque intuantur. Itaque si maxime *experientiam* talium hominum nobis objiciat Adversarius, suspectam eam tamen & fallacem haud immerito habemus.

LI. *Bernbardum* vero novimus ab illa sententia, quam Keithus ei tribuit, plane alienum esse; quippe qui oppositam, quæ & nostra est, non solum aperte profiteretur, verum etiam inculcat: quando Serm. XXXI. super Cantica, fol. 661. seqq. edit. Antverp. *de excellentia divina visionis & qualiter in præsentibus sanctis viris gustus divine præsentia varietur, pro variis animi desideriiis;*